

399

orientur, sed p̄petua vicissitudine aliis exortis, aliæ intereant, neque eorum durationes eo, quo pars est modo, se habere, omnibus est apertum, quare nec de utraque nisi per analogiam quan-
dam dici arbitramur: Usu tamen, quem penes est arbitrium & vis
& normal loquendi, receptum esse videmus, ut motus dicatur
durare, quando una pars alii præcedenti successit, quia motus,
qui fuit in instanti præcedenti, & qui modo est, idem quodam-
modo dicitur, quemadmodum partes æquæ in fluvio, quæ modo
præterfluunt, & quæ multis retro annis præterfluxere, idem for-
tiuntur nomen, licet nulla harum partium perseveret. Nisi sa-
tius forsitan dicatur per successionem partium motus durare, ut ita
ipse motus per tropum quendam pro successione partium sua-
rum adhibeat, quemadmodum etiam fluxus aquarum propriè
durare dici posse censemus. Quicquid sit in præsenti intelligim⁹,
durationem permanentem.

Th. 16. Possemus jam ad species durationis facere progres-
sum, verum sunt adhuc, quæ remoram injiciunt, nempe gravissi-
ma quædam controversia, scilicet di&um superius est, duratio-
nem in duobus hisce consistere, in existentia & permanentia, ori-
tur autem disputatio & dissensus inter Autores, num permanentia
existentiæ superaddat aliquid reale, an saltim ratione distin-
guantur? Pro priori sententia videntur pugnare argumenta non
sanè nullius momenti, quæ Autores alias non obesse naris in ejus
tutelam adducere solent. Ruvio 4. Phyc. quæ. 4. n. 52. h. in m.
ratiocinatur. (1) Quicquid est accidens alicujus, id realiter dis-
tinguitur ab ea re, cujus est accidens. Atqui duratio. E. Mi-
norem probat, quia nullares creata durat per suam substantiam,
sed DEUS solus ita durat. E. res creata durat per aliquod acci-
dens superadditum. Consequentiam rursus stabilitum it h. m.
res citra operationem intellectus durat, ergò vel per suam sub-
stantiam vel per accidens, non per suam substantiam. E. per
accidens. (2) Dicit, quod existentia possit separari à Dura-
tione. E. distinguitur ab ipsa realiter. Antecedens proba-
tur, quia res potest in momento existere sine permanentia, ubi
dicitur existere & non durare. Alius movetur his argumentis:
(1.) Hoc, quod est Petrum hodie durare, est separabile ab existen-
tia Petri, quā Petrus existebat heri cum tota sua existentia & sub-
stantia, cum tamē hodie potuit mori. E. duratio hodierna potuit

C

ab